



**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij  
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinqve, Ad  
Primam Secvndae D. Thomae**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1629**

1. Vtrum in obiectis actuum humanorum sit aliqua honestas, siue bonitas moralis obiectiua.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

moralium actuum, & sic comprehendit etiam virtutes infusas: imo si hæc denominatio sumatur in hac ampliacione, etiam virtutes Theologicæ possunt dici *morales*, nam reuera actus earum sunt *morales*: verum illa denominatio virtutum specialiter accommodata est ad illas, quæ etiam habent pro obiecto & materia circa quam versantur, aliquos actus *morales*, de quo latius alibi.

IX. Ex quibus omnibus tandem concludo *ens morale* in tota latitudine sua non dicere proprie vnam rationem communem: vt satis patet ex magna varietate huius denominationis quam explicuimus. Vnde licet possimus dicere *ens morale* esse illud quod ad mores pertinet, vel quod aliquo modo ex libero operandi modo procedit, aut ad illum dicit aliquam habitudinem, tamen hæc potius est quædam vocis analogiæ interpretatio, quam alicuius rationis formalis communis explicatio: in aliquibus autem entibus moralibus magis contractis potest vere dari ratio communis abstracta, & diuisio, quæ sub illa fiat per se per modum generis & speciei, & huiusmodi est ratio actus moralis, & ratio bonitatis, vel malitiæ moralis, de quibus nobis mox disputandum est.

DISPVATIO II.

De bonitate & malitia obiectiua humanorum actuum.



Quoniam obiecta, teste Aristotele, sunt priora actibus, & actus humani vel omnino, vel præcipue accipiunt ab obiectis bonitatem, & malitiam, ideo antequam disputemus de bonitate actuum vt actus sunt, dicendum videtur de bonitate obiectorum, quam nos vocamus bonitatem obiectiuam, de qua videbimus an sit, quid sit, & vnde sumatur, seu quoruplex sit, & simul dicemus de malitia, quia facile cognoscitur cognitio positio cuius est priuatio.

SECTIO I.

Utrum in obiectis actuum humanorum sit aliqua honestas, siue bonitas moralis obiectiua.

I. Ratio dubii est primo, quia non oportet vt conditiones quæ sunt in actu, prius reperiantur in obiecto, etiam si sumatur actus totam denominationem suam ab obiecto: ergo licet actus humanus sit bonus ex habitudine ad obiectum, non oportet, vt obiectum ipsum prius sit bonum: ergo non est necessaria hæc bonitas obiectiua. Primum antecedens patet inductione, nam licet iudicium intellectus sit verum, non oportet vt illa veritas prius sit in rebus, nam, teste Aristotele, primo & per se est in intellectu, per confirmationem ad res: idem est de certitudine, claritate. Et ratione patet, quia obiectum in tantum potest requirere conditionem quæ est in actu, in quantum est causa illius: obiectum autem non est causa vniuoca actus, sed æquiuoca: non ergo oportet vt in se habeat conditionem illam, quam communicat actui obiectiue: ergo quauis obiecta humanorum actuum aliquo modo communicent actibus bonitatem, non oportet vt ipsa in se bona sint bonitate morali, seu honestate. Secundo, actus interior voluntatis non ideo est bonus, quia obiectum est bonum moraliter: duplex enim esse potest tale obiectum, scilicet, aut res omnino extrinseca, seu quæ nullo modo sit actus humanus, vt est Deus respectu amoris eius, vel potest esse aliquis actus humanus, vt est eadem res respectu voluntatis dandi eleemosynam: priora obiecta non possunt dici ex se moraliter bona, aut mala, vt per se constat, quia tantum sunt res quædam simplices & naturales, seu physice: posteriora vero in tantum sunt bona moraliter, in quantum procedunt ab actibus internis bonis: actus enim exterior eleemosynæ ideo est bonus, quia à bona voluntate procedit, vnde si interdum procedat à mala voluntate, est malus: ergo neque in illis obiectis secundum se est bonitas aliqua. Tertio, vt actus voluntatis sit malus, non requirit malitiam in obiecto, ergo neque vt sit bonus, requirit bonitatem: antecedens patet, nam odium Dei est malum, & tamen habet pro obiecto Deum, in quo nulla est malitia, & sic de aliis.

In hac re vix reperio varietatem opinionum, quia Theologi pauca de ea in propriis terminis disputant: potest autem referri hic opinio eorum, qui negant in actibus externis esse aliquam bonitatem, quæ non emanet ab interioribus actibus, quam tenet Almain. tractatu 3. moral. cap. 18. & Ocham. quodlib. 1. q. 10. Gregor. in 2. quæst. 41. Sed reuera hi autores non loquuntur de actibus externis formaliter vt obiecta sunt, sed vt sunt actus humani, quæ consideratio est longe diuersa, vt dicemus.

Dicendum primo. In obiectis humanorum actuum, qui sunt boni moraliter, necessaria est aliqua honestas quæ conueniat obiecto ex se, & affirm. non per actum, & illa recte dici potest bonitas obiectiua. Hanc conclusionem sumo ex D. Thoma 1. 2. q. 19. art. 1. ad 3. dicente, Bonum per rationem presentatum voluntati vt obiectum, & in quantum cadit sub ordinatione rationis, pertinet ad genus moris, & causat bonitatem moralem in actu voluntatis. In quibus verbis dicit aperte bonum præsupponi vt obiectum apte actum voluntatis, & respectu actus moraliter boni: illud bonum aliquo modo pertinet ad genus moris per ordinem ad rationem: est ergo in illo aliqua bonitas quam recta ratio cognoscit, & hanc nos vocamus obiectum honestum: vnde 1. 2. q. 20. art. 1. ad 1. ait idem D. Thomas actum externum pro vt est prior in ordine rationis, quæ internus, habere ex se bonitatem non ab interiori actu, sed quæ sit potius fundamentum bonitatis interioris actus. Vbi est aduertendum non sentire D. Thomam hanc bonitatem nõ conuenire his actibus pro vt in re sunt, eo quod dicat conuenire illis pro vt sunt in ordinatione rationis, quia res quæ iudicatur bona: non in apprehensione tantum, sed in existentia iudicatur bona: vt ergo iudicium sit verum, oportet vt res in se habeat bonitatem, quam habet vt rationi obiecta: dicit tamen D. Tho. hanc bonitatem conuenire actibus externis vt sunt in apprehensione rationis, quia vt sic obiciuntur voluntati, & ita hoc modo dicendi, explicuit hanc bonitatem esse obiectiuam, & conuenire actibus externis, non vt actus sunt morales, sed vt obiecta sunt. Eandem doctrinam repetit quæstione secunda, de malo, articulo tertio, in corp. & ad octauum, vbi hanc vocat bonitatem primordiale: & ita conclusionem hæc fere omnes Thomistæ docent. Conrad. alii 1. 2. quæst. 20. art. 1. & 2. Ferr. 3. cont. Genr. cap. 1. Viger. in Sum. c. 3. §. 7. vers. 2. & alij Theologi quos infra referam.

Ratione

IV Ratione probatur, quia obiectum voluntatis est bonū sub ratione boni: ergo bonitas illa quæ mouet voluntatem, non manat à voluntate, sed supponitur in obiectis: idem ergo proportionaliter verum est in omnibus habitibus, vel actibus voluntatis, quia omnia tendunt in obiectum adæquatum potentie proportionali modo: ergo idem necesse est dicere de actibus bonis & rectis: supponit ergo in obiectis suis aliquam bonitatem mouentem voluntatem ad tales actus, & formaliter terminantem tendentiam eorum. Tunc ulterius, illa bonitas talis obiecti non constituit bonum vtile, nec delectabile: ergo honestum est: ergo in ipsa, aliqua honestas sufficiens in suo genere ad dandum actui bonitatem moralem, & ideo rectè dicitur bonitas moralis obiectiua. Probantur duæ partes de virtute & delectabilitate, nam in primis bonum vtile vt sic est respectuum: & totam suam rationem appetibilis sumit ab illo, ad quod est vtile, vt suo loco iam ostensum est: ergo vtile vt sic est indifferens, & vt sic honestum, dicendum est esse vtile ad honestum obiectum, seu finem: ergo proprie & formaliter hæc bonitas non est in bono vtili vt vtile est, sed in aliquo bono per se amabili, vt latius postea. Similiter bonum delectabile vt sic non est sufficiens ad dandum actui interiori bonitatem moralem, sed ex adiunctis iudicandum est de illo, nam potest habere adiunctam turpitudinem, & tunc actus qui circa tale bonum versatur, erit malus moraliter: interdum verò neque turpitudinem, neque honestatem habet adiunctam, & tunc est indifferens: vnde non potest facere actum bonum, sed ad summum facit indifferentem in specie, & in individuo erit bonus, vel malus ex adiunctis circumstantiis: aliquando vero potest delectatio esse honesta, quia consequitur honestam operationem, quæ operatio habet rationem obiecti honesti: ergo honestas illius non est ipsa delectatio, sed aliqua alia ratio boni, à qua & opus ipsum, & consequenter delectatio est honesta.

V. Dices præter has tres rationes esse quandam aliam conuenientis boni vt sic, & illam sufficere vt ex parte obiecti fundet bonitatem actus. Respondetur iuxta metaphysicam distinctionem boni vtile honestum, & delectabile, omne illud quod est amabile tanquam per se conueniens, reduci ad bonum honestum: vnde licet concedamus illam conuenientiam cum natura fundare obiectiue bonitatem actus, nihilominus illa verè dicitur honestas quædam. Adde tamen ulterius, non quidquid est conueniens nature hominis, hoc ipso esse honestum proprie & in ordine ad mores, vt nunc loquimur, nam vita per se est conueniens nature, & tamen interdum amara illam potest esse turpe, & idem est de sanitate, aut aliis commodis nature, & hoc modo antiqui Philosophi, vt constat ex Tullio 3. & 4. de Finib. distinxerunt bonum nature à bono honesto, quod appellabant per se decens: in obiectis ergo actuum humanorum sola commoditas nature non est sufficiens ad honestatem actuum: ergo est in eis aliqua ratio bonitatis, quam proprie honestatem appellamus, ratione cuius talia obiecta per rectam rationem iudicantur esse homini decencia, & propter se recte amabilia.

VI. *Assertio vniuersalis.* Dicendum secundò. Hæc honestas non conuenit tantum actibus humanis, sed etiam aliis rebus, quæ per se recte amari possunt: neque etiam conuenit solis actibus externis, sed etiam internis. Hæc conclusio declaratur vno exemplo quoad priorè partem, nam tota illa sequitur ex præce-

denti, & eadem ratione probanda est proportionaliter explicata. Prima ergo pars declaratur hoc exemplo, Deus est obiectum per se amabile ab homine, rectissimo amore: non est autem ita amabilis Deus, quia amor qui in ipsum tendit, rectus est, sed è contrario: quia Deus de se ita est bonus, & ita amabilis, ideo amor qui tendit in illum sub hac ratione rectus est: ergo hæc obiectiua bonitas supponitur in ipso Deo, neque conuenit illi per denominationem ab actu voluntatis, sed potius in suo genere est causa rectitudinis voluntatis. Dicunt aliqui tale obiectum non denominari bonum nisi à causalitate, quia scilicet potest causare actum bonum. Sed si hoc intelligatur de actuali causalitate, sic est aperte falsum: est enim obiectum de se bonum, etiam si actu non causet actum bonum: si autem intelligatur de virtute causandi, cum hæc causalitas pertinet ad finalem causam, verum est bonitatem ipsius obiecti esse virtutem, per quam sic causat, iuxta dicta initio huius operis. Hæc autem bonitas non consistit proprie in relatione causalitatis, sed est veluti virtus ipsa, in qua potest fundari talis relatio.

VII. Atque hinc probatur secunda pars conclusionis de actibus externis, qui etiam sunt obiecta interiorum, & interdum sunt tales, vt ex se habeant vnde rectè amantur, quo sensu vera est illa causalitas, quia dare elemosinam bonum est, ideo velle dare est bonum: ergo in talibus actibus secundum se præsupponitur aliqua bonitas, quæ non manat ab interiore actu, sed potius obiectiue præsupponitur, & est fundamentum rectitudinis illius.

VIII. Denique eodem modo probanda est vltima pars conclusionis de actu interiori: qui dupliciter potest considerari: primò quatenus vnus actus interior potest per alium actum amari quasi reflexè, & hoc modo eadem est ratio de vno actu interiori respectu alterius per quem amatur, quæ est de actu exteriori respectu interioris: sicut ergo actus exterior in se & ex se habet honestatem obiectiuam, ob quam rectè amari potest, ita etiam interior: & hoc modo velle amare Deum est actus bonus, quia ipsum amare est obiectum bonum, & per se decens homini vt recta ratione vultur: ergo illa est honestas obiectiua vnus actus respectu alterius. Secundò potest considerari actus interior quatenus se ipso est intrinsecè voluntarius, & consequenter volutus: sub qua ratione non habet proprie rationem obiecti, quia non est volutus vt obiectum, sed vt actus: attamen eo modo quo est volutus, lata quadam ratione potest dici aliquo modo inducere rationem obiecti, nam vere vt sic est amabilis. Et eadem consideratione si actus sit honestus dici potest intrinsecè includere honestatem obiectiuam, ratione cuius est amabilis honestè intrinsecè & per se ipsum, est enim eadem proportionalis ratio. Poterat autem circa hanc conclusionem inquiri, vtrum hæc honestas obiectiua reperitur aliquo modo in medijs vt media sunt, & in priuationibus, & in entibus, seu respectibus rationis: quæ commodius explicabuntur in sequentibus sectionibus.

IX. Ad argumenta in principio posita, quoniam magna ex parte fundantur in equiuocatione nominum, præmittenda est distinctio iam insinuatæ bonitatis & honestatis, nam alia est obiectiua, alia verò potest vocari formalis: prior est illa quæ constituit rem in ratione obiecti honesti: posterior verò, quæ constituit actum vt actum in ratione actus honesti. Dices, omnis bonitas formaliter constituit in ratione boni illam rem, cuius

cuius est bonitas: ergo omnis bonitas est bonitas formalis. Respondetur hanc esse vocis æquiuocationem, concedo enim obiectum boni formaliter constitui sua bonitate in tali esse, & hoc sensu illum posse appellari bonitatem formalem; verum respectu hominis illa dicitur bonitas obiectiua, & sub hoc respectu & consideratione datur illa diuisio, nam, vt latius dicam inferius, in tantum aliquid est bonum alteri, in quantum est illi conueniens: dupliciter autem potest aliquid conueniens homini scilicet aut per modum obiecti, aut per modum formæ. Ad quem modum initio huius operis distinguebamus finem obiectiuum & formalem: sic ergo in ordine ad mores aliquid est bonum homini vt obiectum, quia scilicet est tale, vt per se sit recte amabile ab homine. Alio modo potest esse conueniens vt forma actualiter constituens hominem bonum: non enim fit homo bonus formaliter ab obiectis per obiecta ipsa, sed per ea quæ exercet circa obiecta. Primum ergo bonum vocatur obiectiuum, secundum formale; de quibus plura in sequentibus.

X.  
Ad 1. argū.  
in num. 1.

Ad primum ergo respondetur concedendo non esse necessarium, obiectum habere formaliter eam conditionem, quæ est in actu: hinc tamen solum fit honestatem illam obiectiuam non esse necessarium eiusdem rationis cum honestate formalis quæ est in actu, quod verum est, vt latius postea constabit, non vero inferitur honestatem illam quæ est in obiecto, non esse bonitatem quandam, nam cum constituat obiectum amabile, & sumatur ex conuenientia ad rationalem naturam, cuius est obiectum, vt dicam, necesse est illam esse bonitatem quandam: vnde in illa diuisione boni in honestum, &c. bonum honestum non solum conuenit actibus, sed etiam aliis rebus quæ honestè amari possunt: est ergo illa honestas bonitas quædam obiectiua.

XI.  
Ad 2. argū.

Hinc ad secundum est facilis responsio, quamuis oporteat distinguere de bonitate & moralitate, si sermo sit de bono morali, nam denominatio boni sumitur sine dubio à bonitate ipsius obiecti, quæ antecedit actum voluntatis; denominatio vero moralis potest sumi ex sola habitudine extrinseca ab actu morali, nam, vt supra dicebam, obiectum non denominatur morale, nisi quatenus esse potest causa actus moralis: vnde sicut in medicina sana virtus causandi sanitatem est intrinseca in ipsa medicina illi ex se conueniens, & non à sanitate, & nihilominus denominatio sani est extrinseca illi à sanitate quam causare potest: ita dicendum de honestate obiectiua quatenus moralis denominatur. Hinc ergo ad priorem partem illius argumenti, quæ est de rebus quæ nullo modo sunt actus humani, concedo in eis esse honestatem & bonitatem propter quam sunt honestè diligibiles, vt dictum est de Deo, & idem est de aliis, seruata proportionem. Vtram vero honestas illa dicenda sit moralis, quæ sitio est de nomine quæ iam satis explicata est. Vnde Ferrar. supra illam vocat bonitatem naturalem, quæ non liberè, sed naturaliter obiectis conuenit: D. Thomas autem vocat primordiale in genere moris, quod idem est quod dicere esse morale causaliter. Ad posteriorem autem eiusdem 2. argumenti partem de actibus externis aliqui non formidant concedere dari circulum inter actum internum & externum, & non esse vitiosum, quia est in diverso genere causæ, nam actus externus est bonus, quia internus bonus est, & internus etiam est bonus, quia terminatur ad talem actum externum tan-

quam ad obiectum. Sed in hoc committitur æquiuocatio, nam respectu vnus & eiusdem bonitatis nullus est circulus saltem quod attinet ad specificationem, nam si sit sermo de bonitate obiectiua, non ideo actus externus est bonus, quia est ab interiori bono, sed ex se talis est, vt declarauimus & retulimus ex D. Thom. Vnde etiam si actus elemosinæ procedat à mala voluntate, quamuis vt actus non sit bonus, tamen vt obiectum semper est bonus, quia de se semper est sufficiens ad dandam actui voluntatis bonitatem. Vnde potius est vera illa causalitas, ideo actus voluntatis est bonus, quia actus exterior est obiectiue bonus: at verò respectu bonitatis formalis, quæ conuenit actui vt actus est, habet actus exterior vt sit bonus ab actu interiori bono, vt suo loco dicemus, tamen iam hoc est respectu diuersæ bonitatis, & ita nullus est circulus.

Terrium argumentum petit, an quod dictum est de bonitate, extendendum sit ad malitiam. Et breuiter dicendum, quoad aliquid esse eandem rationem, nimirum quando actus interior ab obiecto malus est, necessarium supponi in obiecto aliquam turpitudinem obiectiuam, à qua manat in suo genere tota malitia talis actus interioris, nã ideo est malus, quia circa prauum obiectum versatur: prauitas ergo subiecti supponitur in ipso, & non manat ab actu interiori in ipsum obiectum, vt facile patet applicando omnes rationes factas pro i. assertionem. Est autem attendendum, quidnam sit proprium & proximum obiectum talis actus interioris, nam in illo debet reperiri malitia, & non in persona, vel in aliqua alia re, ad quam terminatur, vel aliquo modo includit tale obiectum, vt in exemplo adducto in argumento, odium Dei non habet pro obiecto proximo Deum, sed non esse Dei, vel aliquid malum inferendum Deo, & ideo obiectiua malitia respectu talis actus non est querenda in Deo, sed in hoc quod est Deum non esse, vel malum aliquod in esse Deo. Et ad hoc intelligendum cõfert quod supra dicebam, omnem actum voluntatis licet significet per modum fugæ, includere prosecutionem, vel appetitionem aliquam, sicut in odio Dei includitur voluntas vt Deus non sit, vel ei fiat iniuria: illud ergo quod appetitur est proprium obiectum, in quo est malitia obiectiua.

XIII.  
Intersit inter bonitatem & malitiam in appetitione.

Est autem differentia notanda inter malitiam, & bonitatem, quod bonitas non solum est in obiecto, sed etiam de se est ratio formalis obiectiua voluntatis: vnde esse potest directè & per se volita; imò hoc etiam necessarium fortasse est, vt conferat actui interiori bonitatem: at verò malitia, licet sit in obiecto, non est tamen ratio obiectiua, quia nemo intendens ad malum operatur, nec malitia vt sic potest mouere voluntatem ad appetitionem obiecti: & quamuis fortasse interdum ex magna deordinatione possit voluntas amare malitiam ipsam, non tamen propter ipsam, sed propter aliquam aliam rationem boni, ad quam talis malitia exillimari potest utilis, & ideo vt obiectum malum communiceet malitiam actui, non oportet vt malitia sit directè intenta aut voluntaria, sed satis est vt in ipso obiecto aliquo modo sit volita, tum propter rationem factam, tum quia malum ex quo cunq; defertur.

☉ (1) ☉

SECTIO II.

Quid sit hæc bonitas obiectiua humanorum actuum.

I. Ratio du-  
bitandi.

**R**atio difficultatis est, quia hæc bonitas reperitur in entibus realibus, vt in Deo, & elemosyna: reperitur etiam in entibus rationis, vt in priuationibus & negationibus; nam velle non occidere est actus bonus ex obiecto; in illo ergo obiecto est bonitas obiectiua, estque mera priuatio, seu negatio: conuenit etiam rebus per extrinsecam denominationem realem, vt in actibus exterius, qui sunt boni, quia præcepti; & mali, qui prohibiti; nam esse præceptum, vel prohibitum denominatio extrinseca est; & tamen in illa fundatur bonitas, vel malitia obiectiua talis actus: hæc ergo bonitas in communi loquendo, non potest aliqua esse proprietas realis, alioqui nec reperiri posset in non entibus, neque oriri ex denominatione extrinseca: neque etiam esse proprietas rationis, quia, vt sæpe dixi, entia rationis sunt conficta, & vt sic nihil conferunt ad mores: neque denique potest esse aliquid commune, quia nihil tale fingi, aut excogitari potest.

II. Opinio.

In hac re potest esse eadem varietas opinionum, quæ disp. præcedenti de moralitate tractata est, & quam inferius agendo de bonitate formaliter referemus, vnde breuiter illam attingo. Prima sententia esse potest, hæc bonitatem obiectiuam in vnaquaque re tantum esse relationem conformitatis ad rectam rationem, nõ vt habet rationem legis, de quo postea, sed vt est vis representans voluntati id quod eam amare oportet; quod videtur posse sumi ex D. Thoma 1.2. q. 18. art. 1. ad 3. vbi dicit bonum vt propositum per rationem, pertinere ad genus moris.

III.

Hæc opinio intelligi potest vel proprie de respectu vt significat relationem siue realem, siue rationis; vel fundamento talis respectus, seu denominatione quæ in obiecto oritur ex iudicio rationis. Neutro autem modo potest hæc opinio esse vera, nam primò quod attinet ad relationem rationis proprie dictam; rationes supra factæ conuincunt esse impertinentem ad honestatem morum, nam hoc ipso quod intellectus iudicat elemosynam esse honestam, reuertit in illo obiecto bonitas obiectiua, & tamen nondum est orta relatio rationis donec intellectus conferat vnum cum alio, & fingat illam. Deinde propter hanc bonitatem est res digna amore; quis autem dicat rem esse amabilem propter relationem rationis? Deus enim per se, & ratione suæ bonitatis est obiectum maximè honestum, & summe diligibile, non propter relationem rationis. Denique obiecta virtutum moralium realia sunt, & tamen sunt honesta bona. Secundo de relatione reali, in primis in obiecto per rationem iudicato, nulla resultat talis relatio, sed si quæ resultat, est in iudicio ipso, ab illa autem non potest obiectum denominari bonum, sed fortasse ipsum iudicium, vnde nominatur verum; & inde etiam vt ipsum sit bonum quoddam intellectus magis ratione fundamētī, quam formalis respectus. Deinde etiam si daremus hanc relationem conformitatis esse realem in obiecto per rationem propositio, neque posset esse verum in omnibus obiectis, vt patet in Deo, neque etiam ipsa relatio quicquam conferret ad honestatem obiecti, nam præcisè lex hoc quod obiectum intelligatur esse tale, quale per rectam

rationem iudicatur, intelligatur esse honestum, & tamen in illo vt sic nondum intelligitur relatio, quia intellectus non iudicat de tali relatione, sed solum de ipsa re, & de tali proprietate illi conueniente. Vnde facile probatur etiam tertia pars de denominatione. Primo quidem, quia obiectum non denominatur à iudicio rationis nisi cognitum, vel diiudicatum, quæ denominatio non constituit obiectum bonum, sed manifestat solum id quod obiectum in se habet: vnde antequam sic denominetur, vel cognoscatur, tale est. Ac denique, quia obiecta non sunt honesta, quia iudicantur honesta, sed potius è contrario, ideo recta ratio iudicat illa honesta, quia ex se talia sunt, nam sicuti in aliis iudiciis veritas eorum fundatur in rebus, si nimirum tales sunt, quales iudicantur, ita in hoc iudicio rectæ rationis rectitudo illius fundatur in obiecto iudicato: ergo honestas obiecti non potest consistere in conformitate ad tale iudicium. Quocirca quando dici solet illud obiectum in moralibus esse bonum, quod est conforme rationi, vel intelligendum est fundamentaliter, id est, quod in se habet vnde recta ratio verè iudicet esse appetendum honestè, vel certè explicatur honestas à posteriori, & quod nos, quia nobis est data ratio, vt per eam discernamus honestum à turpi.

Secunda sententia esse potest, hanc honestatem esse positam in cõformitate ad legem: quam insinuat Conrad. 1.2. q. 19. art. 1. ad 3. dum ait rectam rationem regulando obiectum in legem æternam, vel aliam quæ sit participatio eius, dare obiecto bonitatem moralem. Et potest hoc suaderi; quia lex est mensura & regula humanarum actionum: vnde fit vt eadem omnino res realiter immutata posita lege præcipiente sit honestè appetibilis; stante autem lege prohibente fit obiectum turpe.

IV.

Opinio.

Hæc vero sententia attingit quidem aliquid quod semper est necessarium ad hanc honestatem, vel malitiam contrariam: non tamen vniuersaliter, neque formaliter explicat in quo consistat hæc bonitas. Primò, quia lex tantum datur de humanis actibus: hæc autem bonitas & honestas latius patet, quam actus humanus, vt in præcedentibus dictum est, & patet in Deo, qui per se est obiectum honestum, quamuis de illo nulla lex dari possit, sed solum de actu, qui circa illum versatur, in quo distincta bonitas est ab illa, quæ est in Deo ipso.

V.

Secundo, quia etiam si loquamur de bonitate actuum, illa esse potest prior quam lex, multa enim sunt obiecta honesta, quæ non sunt præcepta. Quod si quis fortè dicat vel nomine præcepti comprehendere etiam consilium, aut approbationem superioris, vel omnes actus honestos esse aliquo modo præceptos, non absolutè vt fiant, quod potest vocari quoad exercitium, sed veluti sub conditione, seu quoad specificationem, id est, quod si voluntas circa tales actus versetur, tali modo tendat, quamuis enim mihi non sit in præcepto nunc loqui, est tamen in præcepto, si velim loqui, vera loquar. Nihilominus hæc responsio non satisficit ob rationes, quas in simili supra feci tractando de ente morali, nam licet per impossibile nõ esset superior præcipiens aut prohibens; hoc ipsum obiectum, quod est mentiri, per se propositum turpe est, & è contrario dicere verum, est honestum, & ideo etiam respectu Dei intelliguntur habere has rationes, & ideo alteri ei repugnat, alterum est cõnaturale: ergo hæc honestas per se & formaliter præcindit à lege.

VI.

Ter-

XII.  
3. in fine  
idem n.1.

XIII.  
terref. in  
bonitas  
malitia  
appetido